



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

XII. In Gallia quoque motus aliquos excitarunt procurationes Legatorum.
Probatur ex epistola Innocentij IV. nondum edita.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

ordinis procuraciones exigere moderatas, indulgentia concessa eidem ordini non obstante; quia tamen non est intentionis nostrae, nec credimus esse tuae, ut contra ipsorum indulgentiam procuraciones ab eis pecuniarie exigantur, mandamus quatenus cibus regularibus contentus, absque esu carniuum, cum ad eos accesseris, prout in predicta indulgentia continetur, procuraciones pecuniarias occasione literarum huiusmodi non patiaris exigi ab eisdem.

Vide Clement.
Ad nostram. De
cessib.

XII. In Gallia quoque nostra motus aliquos excitavit illa Legatorum procuraciones. Colligitur istud ex epistola Innocentij IV. ad Episcopos provinciae Narbonensis, ex qua constat illos difficiles se praebuisse in solutione procuracionum. Extat ea epistola in archivo Archiepiscopi Narbonensis. Sic autem habet.

Innocentius Episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Archiepiscopo Narbonensi ejusque suffraganeis salutem & apostolicam benedictionem. Volentes ut in vestris & Francia partibus sit uniformitas in procuracionibus sedis apostolicae Legatorum, praesentium auctoritate precipiendo mandamus quatinus huiusmodi procuraciones in provincia vestra ratione previa reductis ad legitimum modum qui in aliis provinciis regni Francia observatur. Datum Lugduni 11. Idus Iunii, pontificatus nostri anno quarto.

De hac legatione
vide Odat. Roy
naldum ad an.
1110. f. 31.

XIII. Anno MCCXX. cum Clemens V. Legatos in Galliam misisset Stephanum Tituli sancti Cyriaci in Thermis Presbyterum Cardinalem & Landulfum Tituli sancti Angeli Diaconum item Cardinalem, eisque indulgisset uti quando ea legatio duraret, tam in praesentia quam in absentia procuraciones usque ad summam viginti librarum Turonensium parvorum diebus singulis pro eorum quolibet, pro suis & familiae suae expensis, reciperent a personis ecclesiasticis exemptis & non exemptis illarum partium per quas eos transire contingeret eisque vicinarum vel adjacentium, habuit ista res contradictionem in episcopatu Helenensi, qui tum erat intra fines regni Aragoniae. Nam cum imperassent uti personae ecclesiasticae provinciae Narbonensis perfolverent quingentas libras monetae Turonensis, & Vicarij generales Archiepiscopi Narbonensis personas ecclesiasticas dioeceseos Helenensis taxassent in viginti libris Turonensium parvorum, Raymundus Episcopus Helenensis suo dioecesanorumque suorum nomine respondit non teneri se ad praestationem illius pecuniae, ea videlicet de causa, quod cum Helenensis dioecesis foret de alio regno, nunquam perfolverat procuraciones debitas Legatis aut Nuntiis qui a Romana Ecclesia mittebantur ad Regem Franciae pro negotiis di-

Alia extant in
archivo Archiepiscopi
Narbon.

atum Regem & regnum Franciae tangentibus. Allegavit praeterea privilegium Innocentij IV. qui Iacobo Regi Aragonum per speciale privilegium concessit quod si Legati vel Nuntij per sedem apostolicam mitterentur, legationis officium in dioecesi Elenensi minime exercerent, licet sit de provincia Narbonensi, nisi de episcopatu predicto Elenensi faceret mentionem, & quod in regno Aragoniae esset situs. Quin & Infans Sancius Regis Majoricarum, ad quem tum comitatus Ruscinonensis pertinebat, primogenitus & Locumtenens, de eadem re scripsit ad Vicarios generales Archiepiscopi Narbonensis, asserens inter cetera istud redundare in praedictum & gravamen Domini Regis Majoricarum. Quod ideo annotavi, ut ostenderem variis interdum contradictionibus jactatas fuisse procuraciones Legatorum, variis coloribus quaesitis.

XIV. Nam eò procefferat Legatorum apostolicae sedis aviditas, ut cum amplissima auctoritate instructi ad provincias accederent, tum in literis pontificiis de legatione sua potestatem accepissent exigendi procuraciones, etiam intentatis poenis excommunicationis, sic se redderent in dictarum procuracionum exactionibus onerosos, ut oppressi subditi huiusmodi onera non valerent supportare, & victum longi temporis brevis hora consumeret. Frustra enim fuit decretum Gregorij X. in Concilio Lugdunensi, qui ad exemplum Innocentij IV. veterat ne procuraciones reciperentur in pecuniis, munerumque receptionem interdixerat. Gradum deinde ad licentiam fecit Bonifacius VIII. qui eis quibus officium visitationis incumbit permisit uti a volentibus Ecclesiarum & locorum visitatorum rectoribus seu personis pecuniam licite recipere valeant pro sumptibus moderatis faciendis in victualibus, diebus quibus visitationis officium personaliter exercerunt. Hinc factum ut sequenti tempore & Pontifices Legatis fecerint potestatem exigendi procuraciones pecuniarias contra majorum instituta, & Legati ad omnem aviditatem proni neque desides essent neque negligentibus in exigendis procuracionibus. In quo illud rursum incommodum eveniebat, ut quoniam sedes apostolica, quemadmodum adnotat Ioannes Paulus de Pavinis, pro magna parte per sua privilegia divites a praestatione procuracionum excemerat, pauperes multum gravarentur ex ea pensatione, quae levior non imponebatur, tamenetsi divites ab ea praestanda immunes essent, sicque fiebat, quod de seculo suo querebatur Salvianus, ut pauperulos homines tributa divitum premerent, & infirmiores ferrent sarcinas for-

Cap. Telle
ex. l. l. l.
l. l. l.
l. l. l.

Cap. l. l. l.
l. l. l.

Cap. l. l. l.

l. l. l. l. l.
l. l. l. l. l.
l. l. l. l. l.

l. l. l. l. l.
l. l. l. l. l.